

Ad Atticum 1,16,1–6

CICERO ATTICO SAL.

1. Quaeris ex me quid acciderit de iudicio quod tam praeter opinionem omnium factum sit, et simul vis scire, quo modo ego minus quam solem proelatus sim. respondebo tibi ὕστερον πρότερον, Ὀμηρικῶς.

Ego enim, quam diu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter et vehementer proelatus sum, ut clamor concursusque maxima cum mea laude fierent. quod si tibi umquam sum visus in re publica fortis, certe me in illa causa admiratus esses. cum enim ille ad contiones confugisset in iisque meo nomine ad invidiam uteretur, di immortales! quas ego pugas et quantas strages edidi! quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci! quo modo sum insectatus levitatem senum, libidinem iuventutis! saepe, ita me di iuvent, te non solum auctorem consiliorum meorum verum etiam spectatorem pugnarum mirificarum desideravi. 2. postea vero quam Hortensius excogitavit, ut legem de religione Fufius tribunus pl. ferret, in qua nihil aliud a consulari rogatione differebat nisi iudicum genus (in eo autem erant omnia), pugnavitque, ut id ita fieret, quod et sibi et aliis persuaserat nullis illum iudicibus effugere posse, contraxi vela perspiciens inopiam iudicum neque dixi quicquam pro testimonio nisi quod erat ita notum atque testatum ut non possem praeterire.

Itaque si causam quaeris absolutionis, ut iam πρὸς τὸ πρότερον revertar, egestas iudicum fuit et turpitude. id autem ut accideret commissum est Hortensi consilio, qui, dum veritus est ne Fufius ei legi intercederet quae ex senatus consulto ferebatur, non vidit illud, satius esse illum in infamia relinqui ac sordibus quam infirmo iudicio committi, sed ductus odio properavit rem deducere in iudicium, cum illum plumbeo gladio iugulatum iri tamen diceret.

3. Sed iudicium si quaeris quale fuerit, incredibili exitu, sic uti nunc ex eventu ab aliis, a me tamen ex ipso initio consilium Hortensi reprehendatur. nam ut reiectio facta est clamoribus maximis, cum accusator tamquam censor bonus homines nequissimos reiceret, reus tamquam clemens lanista frugalissimum quemque secerneret, ut primum iudices consederunt, valde diffidere boni coeperunt. non enim umquam turpior in ludo talario consessus fuit: maculosi senatores, nudi equites, tribuni non tam aerati quam, ut appellantur, aerarii. pauci tamen boni inerant, quos reiectione fugare ille non potuerat, qui maesti inter sui dissimilis et maerentes¹ sedebant et contagione turpitudinis vehementer permovebantur.

4. hic, ut quaeque res ad consilium primis postulationibus referebatur, incredibilis erat severitas nulla varietate sententiarum. nihil impetrabat reus, plus accusatori dabatur quam postulabat. triumphabat (quid quaeris?) Hortensius se vidisse tantum, nemo erat qui illum reum ac non miliens condemnatum arbitraretur. me vero teste producto credo te ex acclamatione Clodi advocatorum audisse quae consurrectio iudicum facta sit, ut me circumsteterint, ut aperta² iugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. quae mihi res multo honorificentior visa est quam aut illa, cum iurare tui cives Xenocratem testimonium dicentem prohi-buerunt, aut cum tabulas Metelli Numidici, cum eae, ut mos est, circumferrentur, nostri iudices adspicere noluerunt; multo haec, inquam, nostra res maior. 5. itaque iudicum vocibus, cum ego sic ab iis ut salus patriae defenderer, fractus reus et una patroni omnes conciderunt. ad me autem eadem frequentia postridie convenit quacum abiens consulatu sum domum reductus. clamare praeclari Ariopagitae se non esse venturos nisi praesidio constituto. refertur ad consilium. una sola sententia praesidium non

1 m(a)erentes *codd.*: mirantes *Madwig*

2 aperta *Shackleton Bailey* : aperte *codd.*

desideravit. defertur res ad senatum. gravissime ornatissimeque decernitur, laudantur iudices, datur negotium magistratibus. responsurum hominem nemo arbitratur.

Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι . . . ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε.
[~ Homer, Ilias 16,112]

Nosti Calvum, ex Nanneianis illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te scripseram. biduo per unum servum, et eum ex ludo gladiatorio, confecit totum negotium. accessivit ad se, promisit, intercessit, dedit. iam vero (o di boni, rem perditam!) etiam noctes certarum mulierum atque adulescentulorum nobilium introductiones non nullis iudicibus pro mercedis cumulo fuerunt. ita summo discessu bonorum, pleno foro servorum, XXV iudices ita fortes tamen fuerunt ut summo proposito periculo vel perire maluerint quam perdere omnia; XXXI fuerunt quos fames magis quam fama commoverit. quorum Catulus cum vidisset quendam, „quid vos“, inquit, „praesidium a nobis postulabatis³? an ne nummi vobis eriperentur timebatis⁴?“ 6. habes, ut brevissime potui, genus iudici et causam absolutionis. [...]

3 postulabatis *codd.* : petebatis *Seneca, epist. 97,6*

4 timebatis *om. Seneca, ibid.*